2 Regis Senacherib ipm gladio [illegible]
qr hoc pctm vix remittit. Con[illegible]
rit ubi q spm scm no remittet[illegible]
neqz in futuro [illegible] qr ho [illegible]
3 loquela infernali. hij vo [illegible]
blasphemabunt deu et p [illegible]
phemie ei in loquela sua [illegible]
familia dia. et sic ad infern[illegible]
dcm sint petro mt. 26. vere [illegible]
na et loquela tua te manif[illegible]
p cuilibz blasphemo. vere [illegible]
infernalibz. na et loquela [illegible]
4 nosa te manifm facit. [illegible]
canibz ee vident. Qra cani[illegible]
nez mordet dnm sum. Sz [illegible]
trant et lacerat dnm sum [illegible]
niat. nec solu culpabiles [illegible]
blasphemat. sz et qui alio[illegible]
rant cu eos phibere pos[illegible]
corrigunt suos subditos [illegible]
23. q. 3. Qui pt. Qui mit[illegible]
bare pversos et no facit [illegible]
ipietati eor. Sz isti pec[illegible]
is q aures suas obturant [illegible]
blasphemia act. 7o. Co[illegible]
.6. ne blasphemia audi[illegible]
illo. mt. 26. Blasphem[illegible]
pecant q blasphem[illegible]
qui videt q eu [illegible]

AD

Thomæ Stapletoni

Professoris Regii & Ordinary in *Academia* Duacena, *cōtrouersiarum cauillationes & calumnias in sua principiorum* doctrinalium demōstratione methodica, contra satisfactionem ad *Rishtoni* postulata quædam, lib. 4. cap. 10. & 11. adhibitas,

Guilielmi Fulconis Angli *Aulæ Pembrochianæ in* Cantabrigiensi Academia *præfecti Responsio.*

LONDINI

Impensis Georgij Bishop.

1579.

T D



Eng



Ad Thomæ Stapletoni controuersiarum professoris regii & ordinarij in Academia Duacena cauillationes & calumnias in sua principiorum doctrinalium demonstratione methodica, contra satisfactionem ad Rishtoni postulata quædam, lib.4.cap.10.& 11. adhibitas, responsio *Guilielmi Fulconis Angli, Aulæ Pembrochianæ in Cantabrigiensi Academia præfecti.*



THomas iste Stapletonus, Euangelij patriæq; hostis infensissimus, cùm priùs aduersus doctrinã seruatoris Christi, quam ecclesiæ Britãnicæ summo Dei beneficio profitentur, papisticæ insaniæ virus, pluribus libellis lingua vernacula profudisset: tandem superiore anno, aliorum Anglopapistarum, *Copi, Sanderi, Alani, &c.* exemplum secutus, eiusdem impietatis ingentem aceruum, satis magno volumine, eoque latino sermone descripto, coagmentauit atque construxit. Hoc opus suoipsius iudi-

iudicio præclarum, non alij quàm ipsi *Gregorio* summo religionis papisticæ antistiti, quosdam etiam nostrates in hoc imitatus, quo scilicet Pontifici innotescerent, consecrandum putauit. Hinc quoque crebræ istorum ad vrbem peregrinationes, quarũ mentionem *Stapletonus* etiam aliquoties ingerit: sed ingratus Pontifex, homines famelicos, tanquã coruos hiantes hactenus egregiè delusit. Neminem enim ex illis qui in eius dignitate asserenda, per annos viginti, cum patriæ, facultatumque famæque suæ, ne dicam, salutis etiam æternæ iactura, strenuè desudarunt, non modò rubro galero (etsi id miserè ambiant) sed nec mediocri quidem mitra dignatus est. Non cessant tamen stimulante ambitione, spesq; illis amplas fingente, mundanæ gloriæ qua flagrant cupiditate põtificis sui largitatem atque beneficentiam, omnibus literis deprædicare: cùm præter exiguam stipem, quam illis non secus atque mẽdicis aliquoties erogarit, nihil hominibus sibi addictissimis, quique eius placitis propugnandis, se totos deuouerunt, papali magnificẽtia dignum hucusque elargiri voluit. Vt nisi benigniùs ex Anglia alerentur, quàm ex Italia, vel illis etiam professionibus Regijs, quas tanto supercilio iactant

ctant magnificè atque ostentant, pleriq; ex illis non tam libenter in Papæ castris permansuri crederentur. Quocirca vt suis etiã alumnis, nonnihil in istis quoq; latinis scriptionibus gratificentur, solent nõnulla quæ ipsis placitura scient, inserere, vt si quid cõtra ipsorum impietates vel pro concione sit dictum à nobis vehementius, vel libello ædito propugnatum fortius, illud leui quadã velitatione, quasi in transcursu perstringere cõsueuerunt. Hinc *Stapletonus* noster, quæ mediocri libello à me respõsa sunt ad Rishtoni cuiusdam (vt ferunt) de Ecclesia quæstiones, duobus capitulis, conuellere satis habuit. Et verò ad cætera magni voluminis argumenta (si qua sunt quibus non millies anteà ab alijs satisfactum sit, vt nõ sunt admodùm multa) alterius (vt audio) & longè doctioris responsionem expectabit. Interim quæ in meam defensionem coniecit tela, furiosus iste aduersarius Christi, & Romani Põtificis assecla: spiritus sancti auxilio fretus, facilè euitabo, atque in ipsum autorem, minimo negotio retorquebo. Sic igitur in nostram orthodoxæ ecclesiæ propugnationem irruit.

Stapletonus.

Protestantum cauillationes contra successionem.

SEd cùm contra visibilis huius successionis ratione personarum et locorum necessitatem, multa cauillentur hodie Protestantes, ea breuiter soluemus. Aiunt successionem continuam in fide quidem & doctrina ecclesiæ Christi promissam, nõ autem personarum & locorum fuisse, ideoq́ue ad huiusmodi successionem demonstrandã, eos à nobis cogi non posse, nec debere. Deinde nullo modo se ambigere dicunt, quin per omnes ætates multisq́ue in locis Deus fideles sui verbi præcones excitauerit, vtcunque illi mundo semper conspicui & cogniti non fuerint. *Ad prius horum respondemus. Fidei & puræ doctrinæ perpetuitas in scripturis tum alijs multis, tum his in locis.* Portæ inferi non præualebunt aduersus ecclesiam meam. Bonum semen crescit vsque ad messem. Messis autem est finis seculi. Ego vobiscum sum vsque ad consummationẽ seculi. *At fides sine perpetuis prædicatoribus verbi, eisdemq́ legitimè missis ꝑpetuo subsistere & perdurare nõ potuit.* Quomodo enim credent sine prædicante, & quomodo prædicabunt nisi mittãtur? *ait Apostolus, Et rursũ:* Nemo sumit sibi hono-

Mat. 16.

Matth. 13.

Mat. 28.

Roman. 10.

honorem, ſed qui vocatus eſt à Deo tanquam Aaron. *Et iterum:* Chriſtus dedit Paſtores & Doctores, ad ædificationē corporis ſui, donec occurramus omnes in vnitate fidei & agnitionis filij Dei, &c. *Eſt ergo non ſecus Paſtorum, Prædicatorum, & fidei Magiſtrorum certa perpetuitas, & perpetua ſucceſsio, quàm eſt ipſius fidei atque doctrinæ. Tales quoque paſtores & magiſtri ſunt certæ & diſtinctæ à reliquis fidelibus perſonæ, nec niſi in certis locis, certis ac definitis Paræciis ac Diocœſibus huiuſmodi perſonæ agunt. Non ſecus ergò perſonarum & locorum certa ſucceſsio, quam ipſius fidei & puræ doctrinæ perpetuitas promittitur. Denique non ſecus propterea illam demonſtrare Proteſtantes debent, ſi ſibi eccleſiam Chriſti vendicare volunt, quam fidei & puræ doctrinæ Euangelicæ perpetuam quandam integritatē, ſeſe demonſtrare poſſe iactitent, ſed vaniſsimè & falſiſsimè.* Heb. 5. Ephes. 4.

Fulco.

ILlud ſcitum eſt & ſolemne apud Papiſtas, id magnis multiſq; rationibus confirmare, quod omninò in controuerſia poſitum non eſt, quod verò caput eſt totius diſſenti-

onis, vel omni defensione vacuum deserere, vel mani tantùm armorum vmbra, satis protectum putare. Quid enim attinet (*Stapletone*) cum successionem continuam in fide & doctrina, ecclesiæ Christi promissam, vel teipso referente aduersarius agnosceret: fidei & puræ doctrinæ perpetuitaté, pluribus scripturæ testimonijs à te demonstrari? Deinde cùm fateamur liberè, Deũ per omnes ætates, multisque in locis, fideles verbi sui præcones excitasse, actum quod aiunt agis, dum ex Apostolorum literis, non minùs certam arguis pastorũ ac doctorũ perpetuitatem, quàm est ipsius fidei atq; doctrinæ. Quòd verò solum in disceptationem vocatur, in eo tibi credi sine teste, iniquissimè postulas, aut saltem vnius voculæ captata pueriliter ambiguitate, ludis ineptissimè. Quid enim hæc sibi volũt? *Non nisi in certis locis ac definitis paraciis, ac Diocœsibus huiusmodi personæ agant.* Horũ verborum si hæc sit mens, non vbique sedibus incertis vagantur Pastores, sed habent loca descripta, in quibus consistant, vbi munere suo fungantur: Quid inde colligis? perpetuas esse debere in huiusmodi locis, Episcoporum ac Pastorum successiones? quis hoc tibi dederit? sin verò id cogitas, promissam

esse

esse certis quibusdam ac definitis locis, in quibus huiusmodi personæ agunt, perpetuam, ac nullo casu interruptam harum personarum successionem, qualem Romanæ sedis esse gloriamini, quia tales personæ in ecclesia nunquam deficient: Hanc conclusionem, nulla ratione subnixam, nullo diuinorum oraculorum testimonio suffultam, nullam habere vim argumentationis, sani omnes facilè intelligunt. Quamobrem, qui modo in percensendis scripturæ sententijs, vbi nihil opus erat, satis profusus, ac planè prodigus videbaris, nunc cùm res exigat maximè, quia prorsus conticuisti, pudendam causæ tuæ inopiam omnibus prodidisti, quam verò nec falso, nec inaniter, nos fidei & puræ doctrinæ Euangelicæ perpetuam integritatem demonstrare posse iactitemus, vos ipsi testis estis locupletissimi, qui sacrárum literarum iudicium, vnde omnis vera doctrinæ probatio peti debet, callidè ne dicam magis subterfugientes, an impudenter reijcientes, ad vanas locorum & absurdissimarum plerunque personarum successiones, prouocatis.

Stapletonus.

N*Am quod adducit*, Non dubitare se, quin per omnes ætates excitauerit Deus fideles verbi sui ministros, *in quibus videlicet ista pura doctrina perpetuitas conseruata fuerit, licet vbi fuerint aut sederint, nesciãtur; id quàm futile perfugium sit, alio iam in libro ostẽdimus. Sed & nunc præterea dicimus, hoc ipsum de quo se non dubitare affirmant, nisi ostendant tamen clareq́; demonstrent, qui & vbi locorum illi ministri fuerint, non nisi summa cum leuitate, temeritate, & insania illis credi à quoquam sanæ mentis posse : maximè quũ nihil sit facilius, quàm hoc asserere: sitq́; præterea cuiuis stultissimo heretico, nõ solùm qui nunc est, sed etiam qui vnquã futurus est, perinde facile asserere et affirmare, suæ sectæ homines iam olim quàm plurimos, idq́; per omnes ætates extitisse, etsi eos demonstrare non valeat : cui etiam sic asserenti eadem facilitate & temeritate qua nostris hodie hæreticis creditur, credi posset : vt ita nullus nouarum hæresiũn & sectarum finis, ac modus reperiri queat, huiusmodi stultissima coniectura & impudentes assertiones si semel audiantur aut*

Supra lib. 3. cap. 7. 8. & 9.

preua-

praeualeant. Postremò, si mundo incogniti huiusmodi ministri erant, profectò prorsus inutiles mundo erant. Nihil etiam simile cum illa ecclesia quam Christus in mundo plantaturus venit, illi belli ministri habebant; Christus enim orauit pro sua ecclesiae pastoribus, vt vnum essent, vt mundus (*inquit Patri suo*) cognoscat, quia tu me misisti. *Ipsis quoque in persona dixit:* Vos estis lux mundi, non potest ciuitas abscondi super montem posita. *Quare nihil hac tergiuersatione & cauillatione, vel ineptius, vel etiam impium magis.* *Ioan. 17.* *Matth. 5.*

Fulco.

Conseruatam quòd dicimus puræ doctrinæ perpetuitatem, omnibus seculis, per fideles verbi diuini Ministros, licet continuatam eijsdem in locis Episcoporũ sibi ordine succedentium seriem, non semper demonstrare ac quasi digito indicare possimus, id illi futile profugium videtur: vide crassam stolidissimi hominis inscitiam, quasi non multò certius hoc ineuitabili ratione confirmari, quam vlla historiæ narratione persuaderi possit. Cùm enim eandem fidei morumque doctrinam profiteamur, idque

idque sacrarum Scripturarum testimonio, omni exceptione maiore, demonstrare semper parati sumus, quam Christus per omnem mundi æternitatem duraturã promisit, quid est quod dubitemus. quin per omnes ætates excitauerit Deus fideles verbi sui dispensatores, quorum ministerio ad electorum salutem procurandam vsus fuerit, etiamsi non semper eisdem in locis, nec ingrato ac Euangelij synceritatem aspernanti mundo, omnibus temporum momẽtis conspicuos? At quibuslibet hæreticis perinde facile est idem iactare, fuisse scilicet per omnes ætates, suæ sectæ homines, etsi eos demonstrare non valeant: certè, nec difficile est diptychorum tabulas successionum testes, confingere. Verùm nec facile, nec omnino fieri potest, vt sua dogmata cum Christi & Apostolorum doctrina conspirare, ostendant hæretici. Sed illud ingeniosè abs te tractatum est Stapletone, quod mundo prorsus inutiles fuisse dicis huiusmodi ministros, si mundo incogniti erant, nec quicquam simile habuisse, cum illa ecclesia, quam Christus in mundo plantaturus venit: Hui, quanti est sapere! nunquam ego tardus istuc animaduertere potui. Quid nunc restat, nisi vt visibili Romanensium

sium ecclesiæ, supplices manus tendamus, omnes vtique Protestantum ministri, qui hactenus in tenebris miserè errantes, nunc verò Stapletoni hominis acutissimi opera, ab ignobili illo mundoque incognito cœtu, & incertis plerunque sedibus vagante ecclesia ad semper illustrem, & in omnium oculis florentem Italiæ ciuitatem perducimur. Sed illud prius vnum expedi, solertissime Stapletone, si quid habent momenti ac ponderis hæc tua argumenta, nam me adhuc hic scrupulus stimulat ac pungit. Fuítne mundo prorsus inutilis Saluator Christus, quòd vt testatur Iohannes, In mundo fuerit, & mundus eum non cognorit? minimè inquis, sed alio sensu, mundum dixit Iohannes, quàm ego posui. Et non pudet te, homo omnium qui sunt quique fuerunt vanissime, tam aperto fallendi studio, Amphibolias aucupari, etiam eas quæ ex altera parte nullã nisi ab omnibus explosam sententiam habere possunt? Sed Christus orauit vt vnum essent in ipso pastores, vt mundus inquit cognoscat quia tu me misisti, Iohan. 17. Quid ais interpres? vt mundus quocũq; sensu dicatur, cognoscat? etiam ille mundus pro quo negat se orare, eo ipso in loco Christus, quem suos odio habere asserit,

qui

qui non cognouit per sapientiam Deum? 1. Cor. 1. qui totus in maligno positus est? 1. Ioan. 5. imò quid mirum si huic mundo, aliquandiù prorsus incogniti essent fideles verbi Dei præcones, qui tamen lux mundi erant, & ciuitas supra montem posita, vtcunque cæcis ac calligantibus impiorum oculis minimè conspicua, quorum densissimæ tenebræ, nullum lucis Euangelicæ radium admittere potuerunt, Deo opt. maxim. illos iusto iudicio obcæcante, & efficaciam erroris mittente, vt crederent mendacio, qui credere noluerunt veritati. 2. Thess. 2. Ne verò in mundi significatione falli potuisses, ignauissime sophista, nisi sponte aliis imponendi ansam captasses, coniunxit is cuius verba mutilatè recenses, cùm mundo Antichristi ecclesiam, cui fieri potuisse dixit, vt non semper conspicui essent piorum cœtuum pastores & ministri, etiamsi tales nunquam ecclesiæ defuissent.

Stapletonus.

3. Cauillatio. *ADdunt praterea, vt hanc successionis personalis necessitatem declinent*, scriptum esse in Apocalypsi sub typo

Apocal. 12. mulieris, fore vt ecclesia fugeret in desertū

è con-

è conſpectu & notitia hominum fugata, ab Antichriſto grandem & diuturnam perſecutionem paſſura; ideoq́ue ſi perſonarum & locorum ſucceſſiones ipſi recenſere & demonſtrare poſſent, hoc ipſum argumentũ fore, ipſorum eccleſiam veram Chriſti Eccleſiam minimè eſſe: Quin & propterea maximo argumento eſſe, adulterinam & Antichriſtianam eſſe noſtram, quia huiuſmodi ſucceſſionem Epiſcoporum & populorum re vera producimus, & recenſemus. Itaque illos quidem pauciores ſuæ doctrinæ præcones, ſed illos præcellentiſſimos & omni exceptione maiores proferre. Proferimus enim (*aiunt illi*) Petrum, Paulum, Matthæum, Ioannem, Marcum, Lucam, Timothæum, Epaphram, Iuſtinum, Irenæum, Cyprianum, Athanaſium, Hilarium, Ambroſium, Auguſtinum, Gildam, Bertramũ, Marſilium de Padua, Iohannem de Ganduno, Brunonem Andegauenſem, Wiclephũ, Ioannem Huſſ, Hieronymum Pragenſem. Et cum primis ſanè illis Apoſtolis & Euangeliſtis, omni ex parte; cum cæteris ſequentibus, in præcipuis & eſſentialibus Chriſtianæ fidei articulis noſtra doctrina conſentit atque conſpirat. *Hæc nuper Anglus quidam, Theologiæ ſe doctorem dictitans, edito*

Vide incredibilem Proteſtantum impudentiã.

Succeſſio Epiſcopalis proteſtantum.

edito libello vernacula lingua, constanter asseruit & seriò docuit, vt nostro huic de successione argumento quàm plenissimè responderet. Quæ quia ille ex communi (vt videtur) fratrum suorum sententia scribit, & his vanissimis fucis simpliciori populo imponit, imò maximo cum Protestantiū Anglorum applausu (vt audio) tam stolidæ cauillationes acceptæ sunt, & pro inuictis deprædicatæ, à me hoc loco breuiter confutari oportet.

Primùm ergo, textus Apocalypseos ita obtorto collo in sententiam longè alienissimam pertrahitur & torquetur, vt nec olim Donatistæ (qui tamen ad perpetuam ecclesiæ Christi durationem euertendam plurimis S. scripturæ locis abusi sunt, vt videre licet apud Augustinum lib. de Vnitate Ecclesiæ) nec hodie Lutherus, & Melanchthon, Musculus, Caluinus, Centuriastæ, Magdeburses, aut quispiam alius inter Protestantes doctior, hoc textu in huiusmodi sensum vsus vel abusus potiùs fuisse legatur. Et quidem loci ipsius circumstantia luculenter reclamat, sensumq; huiusmodi exhorret apertissimè. Sic enim se habent verba: Et mulier fugit in solitudinem, vbi habebat locum paratum à Deo, vt ibi

Successio Episcopalis prouocantium.

Cap. 13. & 14.

Apoca. 12.

ibi pascat eam diebus 1260. *Et paulo post:* Et datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertum in locum suum, vbi alitur per tẽpus, & tempora, & dimidium temporis, à facie serpentis. *Hæc ergo mulier, quæcunq; tandẽ illa sit, triũ tantũ annorum cum dimidio persecutionem, à Diabolo passura erat: illa verò Protestantium conficta ecclesia totis bis mille ferè vt minimùm annis in deserto latuit, à Romano (vt aiunt) Antichristo à tempore saltem Bonifacii primi, perpetuò proculcata & oppressa. Itaque poterit fortasse hæc mulier ecclesiam sub finem seculi regnante Antichristo futuram designare, illamq; eius temporis grauissimam, sed breuẽ paucorum annorum persecutionem præfigurare: (quanquam si Augustino credimus, nec tunc quidẽ obscura erit ecclesia, sed ita illustris, vt ad eius gremiũ etiã sub ipso Antichristo, aliquæ gentes se recepturæ & cõuertendæ sunt) totum verò ecclesiæ Christianæ, vel ab ipsis eius primordiis, vel à mille tum annis, progressum & cursum, hæc latitans in deserto mulier, nullo modo significare potest. Hoc enim ex Diametro Christi Saluatoris apertissimis & luculẽtissimis verbis repugnaret, qui diligentissimè*

De ciuitate Dei, lib. 20, cap. 8.

sime

simè & manifestissimè nos præmonuit, ne in deserto ecclesiam quæreremus. Si dixerint vobis, Ecce in deserto, nolite exire; ecce in penetralibus, nolite credere. *Aduersus ergò luculentissima hæc, & manifestissima Saluatoris verba, ex obscura prophetia suspiciones quærere, & insignis dementia est, & impietas maxima. Deinde quàm plurima S. scripturæ loca, eademq́; meridiana luce clariora, nullis tenebris inuoluta, nullis ambagibus circumfusa, nulla difficultate obscura, pro perpetuitate & propagatione illustri ecclesiæ Christi, ex Lege, ex Psalmis, ex Prophetis, ex Euangelio, in præcedentibus produximus. Et quenquam ne ita desipere, aut salutis suæ ita prodigum, aut negligentem esse existimabimus vt aduersus tot ac tanta scripturæ, eademq́;* ita manifesta testimonia, vt nullo egeant interprete (*ait Augustinus*) *illustrem vobis, conspicuam, amplam, per omnes gentes diffusam, stabilem, permanentem, & nullis casibus perituram Ecclesiam demonstrantia, vnius prophetiæ obscuræ quæq́; in multos probabiles sensus à multis trahi possit, ad obscuram aliquam in deserto quærendam Ecclesiam abduci se patiatur? Non est hoc aut prudentis*

Mat. 24.

Protestantes in deserto quęrunt ecclesiam, contra manifestissimam Christi doctrinam

Lib. 2, & 3.

Lib. de vnitate Eccle. cap. 16.

dentis aut sobrii, aut etiam pii cuiusquam Christiani: sed eorum tantùm qui abiecto semel omni pudore, & perfricta in omnem audaciam fronte, quam semel defendendam sententiam susceperunt, eam per fas nefasq́, quóue iure, quáue iniuria tueri ac asserere pertinacissimè, apud se statuerunt.

Fulco.

VTcunque Stapletonum grauiter pungit, ac planè confodit, tamen hoc etiam atq; etiam premendum est argumentú. *Anglus inquit quidam Theologiæ doctorē se dictuans.* Perduelli ac patriæ hosti, quum apud Pontificem, Iouem summú capitolinú cui & optimi maximi, titulo assentari non erubescit, infinitis contumelijs onerat, etiā natalis soli appellatio, in probro est. Deinde Theologiæ doctorem se dictitat, qui ne dicit quidem, nisi fortè librorum titulos Typographi plerunque arbitrio adscriptos, ipsis auctoribus semper attribuimus. Quod si necesse est, certè modestiora decebāt Stapletonú, quàm quæ præ se fert prima pagina demonstrationis principiorum doctrinalium.

 Quan-

Quanquam si delatum mihi florentissimæ Academiæ, & Duacena non ignobilioris, honestis suffragijs titulum agnoscam, non video quid sit quod tantopere fastidiat, hic cōtrouersiarum professor regius & ordinarius, quòd ex communi fratrum meorum sententia me illa scripsisse autumat, vt si quid à me minùs idoneis rationibus confirmatum sit, id quasi ex omnium nostrorū consensu profectum esse videatur, in eo se ipse fallit ineptissimè. Quod enim in illius libelli præfationem professus sum, id etiam constanter repeto, vnius tantùm & docti & sancti fratris impulsu, illam defensionem à me susceptam, quam & in nouum annum apud me pressi, donec prouocationem illam quam priuatā latere apud paucissimos existimabam, in multa exemplaria apud plures transfusam esse viderem.

Sed tam stolidas cauillationes, quam dextrè Stapletonus confutare valeat expendamus. Primùm textus ille Apocalypseos, de muliere quæ in solitudinem fugeret, obtorto collo in alienissimam sentētiam pertrahitur. Quî sic obsecro? quia nec olim Donatistæ, qui tamen ad perpetuam ecclesiæ Christi durationem euertendam, plurimis sacræ scripturæ locis abusi sunt, hunc

textum

textum vnquam vsurpare ausi sunt. Quasi nostra sit eadem causa cum Donatistis, à quibus multò longiore interuallo distamus, quàm vosipsi Papistæ, vt mox luculenter ostendam. Nósne ecclesiæ Christi perpetuã durationem euertere paramus, mendacissime calumniator, quòd eam latere aliquando debuisse, nec in conspectum crudelissimi Draconis prodire, qui ipsam vsq; ad internecionem persequi decreuisset? An tres grammaticæ idem sonant, occultari ecclesiam aliquantisper, donec desæuiat serpens, & eandem penitùs ex mundo perire? Sed nec hodie Lutherus (inquis) aut Melãchthon, &c. aut quispiam alius inter protestantes doctior, hoc textu in huiusmodi sensum abusus fuisse legitur. Cuiusmodi sensum dicis inuerecunde cauillator, quem tu modò finxisti? an secundum quem ego scripsi? Si ad ecclesiæ perpetuitatem excindendam hoc testimonio abusi non sunt, cuius perpetuam omnibus seculis duratioñe obuiis vlnis omnes amplexi sunt, quid est quod miteris? Sin ad ecclesiæ ab Antichristi furore latentis figuram describendam, hanc propheciam nunquam adaptasse dicis, omni exhausto rubore fingis impudentissimè, legantur enim doctissimi multorum in Apo-

 calyp-

calypsim commentarij Bullingeri, Alphonsi, Chytrei, Marlorati, &c. si non omnes ecclesiam à Diaboli, eiusque vicarij Antichristi tyrannide in deserto, hoc est in locis ab impiorum cōspectu atque accessu remotis, Christi patrocinio protegendam fateatur. Quod si primus aut solus hoc argumentum ex illa prophecia contexuissem, an idcirco prorsus reijciendum esset, quod alius quispiam prius hoc non animaduertisset? Sed loci (inquis) ipsius circumstantia luculenter reclamat, sensumque huiusmodi exhorret apertissime, quod hæc mulier quæcunque tandem illa sit, triū tantum annorum cum dimidio persecutionem passura sit, Protestantum verò Ecclesia, totis mille annis in deserto à Romano Antichristo proculcata iacuit. Vide primū inauditā hominis impudentiā, quod mulierē hāc Apocalypticam, pro ecclesia haberi citra cōtrouersiam nolit, quod tamen omniū interpretum, tam veterū quàm recentiū cōsensu receptū est, & ipsa per se prophecia non obscurè indicat. Deinde quàm apertè hæc loci circūstantia sensum hunc nostrū exhorreat obseruemus: quòd mille tantū ducentis ac sexaginta diebus latituram in solitudine ecclesiam spiritus sanctus asserit, hic bonus in-

terpres, ad annos tres cũ dimidio, solares, et vulgares scilicet, restringit, cũ idem spacium postea, tempus, tempora, & dimidium temporis indefinitè appellatur. Et alibi etiã, triũ dierum cum dimidio, duratione concludatur. Fateor quidem his numeris ac nominibus tempus breue ad consolationem piorum designari, dimidium scilicet septimanæ mysticæ & propheticæ, sed quibus dierum, annorũ, aut mensium, curriculis finiendũ, nobis qui tẽporum articulos, quos pater in sua potestate posuit, curiosiùs inuestigare ꝓhibemur, penitùs incognitis. Porrò ꝙd totis mille, vt minimũ annis, ꝓstrãtũ ecclesiã perpetuò à Romano Antichristo oppressam, in deserto latuisse dicit, vt nunquã interim caput exerere ausa sit, vt nulli homini cõspicua esset, id est omnino à vero alienũ. Nam quãuis nongenti ampliùs anni sunt, ex quo Bonifacius Antichristianã tyrannidẽ apertè inuasit, nõ tamẽ vno momẽto diabolus omnem ecclesiã in loca solitaria detrudere valuit. Vix enim quingẽtis postea annis, veram salutis doctrinã, ex ecclesijs Europæis exterminare potuit, vtcũq; ꝑ multas corruptelas, id maximè iã olim ceptũ cuperet. Sed quæcũq; de hac mulieris in desertũ fuga ꝑdicta sunt, in finẽ seculi reijcere *Staple*. argutũ videtur, sic

ſic enim ex hoc textu nihil opis ſperare poterit, afflicta per annos complures, & ex orbe Romano ferè profligata, Proteſtantum eccleſia. At verò quàm craſſum hoc ſit delirium, in mundi finem relegare, quod ſtatim à partu, mulieri euenturum ſpiritus ſanctus præmonuit, nemini obſcurum eſt. Vt taceã poſt fugatam mulierem, aquam ex ore ſerpentis profluentem, à terra abſorptam, bellumque à Dracone geſtum cum reliquijs ſeminis eius, qui cuſtodiunt mandata Dei, & habent teſtimonium Ieſu Chriſti, quæ omnia in tantas temporum anguſtias, quantas iſti fingunt, ſub finem ſeculi regnante Antichriſto, apud ſanos & æquos lectores, nulla ratione compelli queunt. Neq; nos vnquã tam obſcuram fuiſſe imaginamur eccleſiam, quin potuerint in eius gremiũ recipi, ſi non totæ gentes, at ſaltem ex diuerſis gentibus aliqui, vt Auguſtinus ſenſit, quãtumuis totum ferè terrarum orbem, fœda occuparet Mahumetanæ peſtis, ac Papiſticæ tyrãnidis proluuies. Atqui totũ (inquis) eccleſiæ chriſtianæ, vel ab ipſis primordijs, vel à mille iam annis progreſſum & curſum, hæc latitans in deſerto mulier ſignificare nô poteſt, cùm hoc repugnet apertiſſimis Chriſti verbis præmonentis, ne in deſerto eccleſiam

quære-

quæremus. Si dixerint vobis in deserto, nolite exire, ecce in penetralibus, nolite credere. De toto ecclesiæ progressu, vel ab ipsis primordijs, vel à mille annis iam priùs respondi, nos ista non intelligere; sed de certo quodam temporum spacio, eoque breui, si ad vniuersum tẽpus regni Saluatoris Christi in terris, conferatur, hanc propheciam de muliere in deserto latitante interpraetari. Quod nec ipse quidem Stapletonus, sub finem seculi regnante Antichristo ecclesia cõuenire posse diffitetur. Quòd si vel sub finem seculi, adimplendam hanc propheciam de ecclesia, negare non audet, quin in desertum ab Antichristo pellenda sit: quomodo Christus tam apertis verbis vetuit, ne vnquam in deserto ecclesiá quæreremus, quá ipse seruo suo Ioanni in deserto per aliquod tempus alendam prædixerit? Vides insulsissime ostẽtator, quo futilissimæ ineptiæ tuæ recidant. Nos verò ne tu sis inscius, nec in deserto, nec in penetralibus, nec omnino in terra, Christum, sed in cœlo tantùm quærimus, at corpus eius, id est in terris peregrinantem ecclesiam, nõnunquam etiam in angulis, in carceribus, in fodinis, ac specubus subterraneis agnoscimus, non quidem totam, in vnius loci angustias cõclusam, sed

per vniuersum orbem varijs in locis dispersam, ac disseminatam. Fuerit igitur in deserto ecclesia, at nunquam tamen, quod tu calumniaris, ex vniuerso mundo perijt. Fuerit incognita Antichristo, at semper tamen mansit spirituali gloria illustris, & per omnes orbis regiones diffusa, non in angulum aliquem Romanæ ditionis compulsa. Quibus igitur in locis quæramus Ecclesiam accepisti. Quod si quibus in verbis, quibus in literis, quibus documentis, quibus testimonijs, Ecclesiam inuestigemus, demonstrari tibi postulas, ipsius Augustini verbis tibi respondebo.

August. contra Crescon. lib. 4. cap. 61.

In verbis capitis eius Domini nostri Iesu Christi, in libris dominicis, in Scripturis sanctis canonicis, quia nolumus humanis documentis, sed diuinis Oraculis, Ecclesiam sanctam demonstrari. Si verò pergis id vnum ad Romanæ Ecclesiæ sanctitatem demonstrandam vrgere, quòd per omnes gentes propagata sit eius doctrina, quæ tamen multa complectitur in Christum ecclesiæ caput impia & scripturis sanctis ex Diametro repugnantia, lege quid idem Augustinus eo ipso in loco scribat.

De vnitat. eccle. cap. 2. cap. 3.

Quicunque de ipso capite ab scripturis sanctis dissentiunt, etiam si in omnibus locis

cis inueniuntur, in quibus ecclesia designata est, non sunt in ecclesia. Desine igitur de illustri ecclesiæ per omnes gentes propagatione, tam multa frustra effundere, & incipe tandem si poteris, consentientia scripturis sanctis de Christo vos docere validis rationibus ostendere. Postremò, quod aduersus tot ac tanta scripturæ testimonia, nullis casibus ecclesiam perituram demonstrantia, nos vnius obscuræ Prophetiæ prætextu, ad obscuram aliquam in deserto quærendam ecclesiam abduci calumniaris, facis pro insita papistis quidlibet fingendi, mentiendique libidine. Annon prædictum ab Apostolo, à Christo, ad Antichristum apostasiam totius ferè orbis, in memoriam vobis reuocamus? 2. Thess. 2. Quid illa prophecia etiam obscura est? Apoca. 13. De bestia quam omnes gentes, tribus populi, & linguæ adorabunt. Quid autē altera cap. 18. de magna meretrice, non in deserto, sed in luce & aspectu omniū, septē collibus insidente, ciuitate inquam quæ habet imperiū in reges terræ, de furioso cuius fornicationis vino, omnes gētes biberūt? Hæ si tibi obscuræ propheciæ videntur, quæ in multos ꝓbabiles sensus à multis trahi possunt (quod tamē nemo nisi nobilis huius scorti

mere-

meretricio amore captus, penitùs atq; obcæcatus dixerit) saltem spiritus manifestè ac disertè loquitur, futuros qui à fide deficerent, attendentes spiritibus seductoribus & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mēdacium, cauterio inustam habentes conscientiam, quorum hæ sunt notæ, quibus suas impietates, quasi fucis obtegerent, matrimoniū, cibośq; à Deo ad percipiendum cum gratiarum actione creatos, prohibere. Sed & hanc propheciam, Stapletonus in solis Manichæis locum habuisse constanter asserit. Cùm nulla ratio sit, cur Paulus de Manichæis potiùs, quàm de innumeris alijs hæreticorum sectis, vaticinaretur. At verò de Antichristi fraudibus, quibus ille templum Dei occupans, maximam à Christo defectionem efficeret, ipsos si fieri posset electos decepturus, à spiritu præmoneri ecclesiam vtile vident omnes fuisse & necessarium. Sed vt demus Manichæos tanquam membra quædā, Antichristi prænūcia, hoc spiritus sancti oraculo cōprehēdi ac damnari, num effugient Romanenses in quibus eadem & impietátis ac hypocriseos signa, & manifestiora, & diutiùs perdurantia, omnibus oculis conspiciuntur? Eadem scilicet impudentia poterant

Mani-

Manichæi ad Montanistas crimen deuoluere, isti rursus ad Eucratitas, cùm tamen omnes isti procul dubio, maximeque omnium papistæ, qui latissimè virus suum sparserũt, eiusdem à fide defectionis, à spiritu Dei rei peragantur. Non igitur vnius obscuræ propheciæ prætextu, à Romanensium cætu disiungimur, quem tam multis, tãque perspicuis sanctæ scripturæ oraculis, Antichristianam esse tyrannidem edocti sumus.

Stapletonus.

Sed quod olim Donatistis Augustinus in eadem prorsus causa respondit, hoc protestantibus hodie responsum velim: Perscrutentur (*ait*) Scripturas, & contra tam multa testimonia, quibus ostenditur ecclesia Christi toto orbe terrarum diffundi, vel vnum proferant tam certum, & tam manifestum, quàm illa sunt, qui demonstrant ecclesiam Christi perisse de cœteris gentibus, & in sola Africa (*vel vt isti volunt in deserto*) remansisse, tanquam ab alio initio, non ab Hierusalem, sed à Carthagine (*vel vt isti hodie volunt, ab Witteberga Saxonia*) vbi primò Episcopum contra Episcopũ leuauerũt: *imò quod deterius est, vbi Monachum*

De vnitate eccle. cap. 4.

nachũ apostatam, & simplicem sacerdotẽ, contra totius christiani orbis Episcopos leuauerunt, id est, docentem audire, & nouas hæreses introducenti credere, & obsequi voluerunt, vbi etiam non altare contra altare, aut cathedram contra cathedram erexerunt, vt de Nouatianis Cyprianus, de Donatistis Augustinus, & Optatus olim conquesti sunt, sed altaria prorsus demoliti sunt, & cathedras omnium subuerterunt, omnes totius orbis Episcopos & pastores, imò omnes omnium ætatũ patres & doctores (vt vno Luthero applauderẽt) nõ sine conuitiis & scommatibus explodentes. Deinde si fugiente in desertum ecclesia, cessarunt illa Episcoporum, Pastorum, & Doctorum munera; quibus propagari, pasci, regi, & gubernari Ecclesia solet ac debet. quomodo illa Christi verba vera esse poterũt, quibus dixit; Oportere prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionẽ peccatorum per omnes gẽtes, incipientibus ab Hierosolyma. Quod videlicet ex tali initio ꝓpagata ecclesia, cresceret per omnes gentes, impleret omnes nationes terræ, & (vt alibi Christus dixit) prædicaretur Euãgelium in vniuerso orbe, in testimoniũ omnibus gẽtibus, & tunc veniret cõsummatio? Nam

Protestantes hodie Donatistis et Nouatianis longè sceleratiores.

Luc. 24.

Mat. 24.

Nam vel iam impleuit euangelium omnes nationes incipiens ab Hierusalē, & sic consummatio iam venisse debuerat; vel deficiente illa ab Apostolis cœpta et ꝓpagata ecclesia, atque in desertū: his aliquot seculis fugiente, profectò quæ supersunt adhuc gētes, quibus videlicet euāgeliū prædicatum nō est, audire iā de nouo euāgelium debent, ex altero quodā & secundo initio prædicationis, neq; ab Hierusalē, vt saluator dixit sed aliunde sumpto; puta ab Wittemberga, vt hodie Lutherani volunt; vel ex Bohemia vt Wiclephistæ volunt, vel denique ex Geneua, vt Caluinistæ pleriq; cōtēpto Luthero desiderant: vt ita demū ꝑ protestātes ad omnes gentes (quas hactenus sub Antichristo latuit) propagato & illustrato euangelio, Christi verba vera cōprobentur. Sed hanc ecclesiæ reparationē, & hoc secundū exordiū, legite nobis ô protestantes in scripturis, sicuti vobis legimus, incipientibus ab Hierusalé. *Sanè de hac dementissima olim Donatistarū, nunc vestra sentētia, sic præclarè scriptum reliquit Augusti.* Nisi fortè hoc restat hominū insaniæ, vt dicant, non ex illis ecclesijs quæ fundatæ sunt per Apostolorum labores, adimpleri prædicationem Euangelij in omnibus gentibus, sed illis pereuntibus, earum reputationem

Vnum est initiū prędicationis Euangelicæ.

Legant protestantes reparationem Ecclesiæ ab alio initio futuram.

De vnitate Eccle, cap, 15.

futurã ex Africa per partem Donati & residuarum gentiũ acquisitionem. Puto quòd ipsi etiam rideant quum hoc audiunt. Et tamen nisi hoc dicant, quòd erubescant si dicant, non habent omnino quod dicant. *Et paulò post citatis illis Apostoli verbis,* In verbo veritatis Euangelij, quod peruenit in vos, sicut in omni mundo est fructificans & crescens, sicut & in vobis ex qua die audistis & cognouistis gratiam Dei in veritate: hæc inquit verbo conueniunt cum Euangelio, vbi dictum est, Simile est regnum cœlorum homini seminanti bonum semen in agro suo. Posteà exponitur ager esse hic mundus. Sicut enim hîc ex quo seminatum est, crescere prædictũ est vsque ad messem, ita & Apostolus dicit, in omni mundo fructificans & crescens, sicut & in vobis ex qua die audistis, crescet autem vsque ad finem, qui vsque ad messem. Messis enim est finis seculi. Dicent ergò non solùm Colossenses, ad quos data est, sed etiam cæteri omnes apud quos legitur hæc epistola, vbi per Apostolicas literas constat bonum semen esse seminatum, & iam tunc crescere & fructificare cœpisse. Quid nobis adfertis noui? Nunquid iterum seminandum est bonum semen, quando ex quo seminatum est,

Non rident, sed grauiter hęc asserunt hodie Protestantes.

Coloss. 1.

Hoc modo Protestantes hodie conuenienti sunt.

est, crescit vsque ad messem, si dicitis perisse in illis locis quod erat per Apostolos seminatum, & ideo esse rursus ex Africa seminandum, respondetur: Legite nobis hoc ex diuinis oraculis. Quod profectò legere non potestis, nisi priùs ostenderitis falsum esse quod scriptum est, semen illic ante seminatum, crescere vsque ad messem. Et quia nullo pacto sibi diuina eloquia contradicunt, nullo modo in eis inuenietis, quod contra hoc tam manifestum probare possitis. Restat ergò vt non ex diuinis libris; sed ex vobis ista dicatis. Proinde dignissimè respondebitur, Anathema sitis. Tenent enim Ecclesiæ Apostolico labore fundatæ, cum quanta cura sibi prædictum. Si quis vobis Euangelizauerit, præterquàm quod accepistis, Anathema sit. *Hæc ille. Vobis ergò Protestantum infœlix turba meritò Anathema dicit Catholica & vera Christi ecclesia, qui in deserto ecclesiam quæritis; qui quasi deperdita illa quam Apostoli incipientes à Hierosolyma cœperunt, & plantauerunt, ab alio secundo initio propagandã, & de nouo plantandam ecclesiam venditatis; qui quod per Apostolos seminatum fuit periisse, ideoq; rursus ex Wittenberga seminandum dicitis: vt propter vos mendax*

Augustinus Anathema Protestantibus dicit.

Anathema protestantibus.

ipsa

ipsa veritas inueniatur qua dixerit, semen ecclesiæ crescere vsque ad messem, *id est, vt seipsum exposuit*, vsque ad finem seculi. *Sed quia vobis flagitiosè mētientibus* (mēdaces enim magistri estis) *semen veræ doctrinæ crescit vsque ad messem, nec crescere potest nisi per operarios* missos in messem, *iterum sequitur catholicam vulgò dictam ecclesiam, solam esse veram Christi ecclesiam, solam esse verè agrum dominicū quæ videlicet, operarios suos, ministros verbi & ecclesiarum pastores, perpetua per omnes ætates successione demonstrare potest.*

Matth. 13.

2. Pet. 2.

Ioan. 5.

Sola catholica est ager Dominicus.

Fulco.

ITáne verò Stapletone, nos in eadē causa cum Donatistis reponis? Cur ita quæso? Quia ecclesiam Christi de cœteris gentibus perisse: & in sola Africa vt nos in deserto remansisse, demonstrare volebant. Sed hoc desertum, in quod profugisse ecclesiam sacra prophecia testatur, tam latè patet, quā orbis terrarum. Fuit igitur ecclesia toto terrarum orbe diffusa, etiam tum cùm in solitudinem pulsa, draconis sæuitia ad tempus à Deo præfinitum, ipsius patrocinio tuta lateret. Sed vos, vos inquam papistæ, in eadem

dem causa estis cũ Donatistis, qui de coeteris quidem gentibus ecclesiam Christi iam multis ab hinc seculis perisse, in sola Europæ parte, vt illi in Africa remansisse demonstratis, quum eos omnes, quotquot Christi nomen vbique profitentur, ab ecclesiæ corpore resecatis, qui Romani Antichristi iugo colla subijcere recusauerint. Quod nos à Wittemberga Saxoniæ, quasi Donatistas à Carthagine, non ab Hierusalem initiũ sumpsisse impudentissimè asseueras, tam falsum est, quàm vos ad Romam, ipsius Antichristi omnium veterum cõsensu sedem, atq; principium regni, totius impietatis vestræ originem referre verũ est. Vbi vos cõtra Christum vnicum animarum nostrarum Episcopum summumq; pastorem, non Episcopum sed apostatam Antichristum, in solio locauistis, vbi euerso vnico salutari crucis altari, abrogatoque æterno Christi secundum Melchisedechum sacerdotio, infinitas aras & sacerdotes innumeros excitastis, ad vnicum illud & solum verum, ac (vt Augustini & Ambrosij verbis vtar) singulare & insacrificabile mortis filij Dei sacrificium, quo omnia nobis peccata remittuntur, auferendum, eiusque virtutem eneruandam dissoluendam, nudam, inanemq; relinquendam.

Cont. duas epist. pel. lib. 3. cap. 6. Con t. adu. leg. & proph. ca. 16. & 19.

Quod fugiente in desertũ ecclesia, cessasse fingis necessaria ad eam regendam Episcoporum & Pastorum munera, mendacium est abs te excogitatum, magno impudentissimorum mendaciorum artifici. Similè est, quòd defecerit illa ab Apostolis cœpta & propagata ecclesia, ipsa in desertum his aliquot seculis fugiente, vt noua reparatione opus sit à Wittemberga, Bohemia, Geneua. Atq; hoc tibi legi vis ex scripturis. Quid tibi legeremus (inepte) quod nunquam ne per somnium quisquam nostrum dixerit, defecisse ecclesiam quæ in deserto latuit, ab alio initio cælestis doctrinæ propagationem, quàm ab Hierusalem cœpisse, cum illud idem Euangelium quod sumpto ab Hierosolymis exordio, in totum terrarum orbem, Apostolorũ laboribus disseminatum sit, & non aliud amplectamur, credamus, doceamus. Quale igitur est, quod nos non ridere, sed grauiter asserere dicis, pereuntibus scilicet omnibus ecclesijs ab Apostolis fundatis, per nos fore reparationem vt Donatistæ gloriabantur. Annon ecclesiam sanctam Catholicam credimus, quia non cadit in aspectum? Est enim fides eorum quæ non cernuntur demonstratio, quamuis igitur non semper oculis conspicua

Heb. 11.

cua

cua ſit externa eccleſiæ in pace florentis politia, nunquam tamen periiſſe vel perituram eſſe certò confidimus, etiamſi id vnicuique noſtrum accideret quod aliquando Heliæ contigiſſe, ſacra hiſtoria refert, vt ſolus videretur relictus ex omni piorum numero, qui Deum ſyncerè colerent. Verùm tu eo modo cōueniendos hodie proteſtantes ais, quo olim cenſuit à Coloſſenſibus Donatiſtas, Auguſtinus: *Vbi per Apoſtolicas literas conſtat bonum ſemen eſſe ſeminatum, & iam tunc creſcere & fructificare cœpiſſe, quid nobis adfertis noui?* Reſpondemus liberè, planè nihil noui, ſed illud ipſiſſimum bonum ſemen, quod per Apoſtolicas literas conſtat, eorum diligentia, opera, ac prædicatione, in vniuerſo orbe diſſeminatū eſſe, quod etiam creſcere oportet, & fructificare vſque ad meſſem, quod omnibus ſeculis à pijs doctoribus, veris Apoſtolorum ſucceſſoribus, quanquam non omnibus in locis, in quibus ab Apoſtolis ſeminatū eſt, in plurimis enim regnat Mahumetana impietas, & idololatria gentilis, in aliquibus tamen per vniuerſum orbem, iam inde ab Apoſtolorum temporibus ſemper remanſit, & ad meſſem, id eſt, vſque ad finem ſeculi remanſurum eſt. Non igitur proteſtantibus ana-

thema dicit Augustinus, sed papistis, imò non Augustinus, sed spiritus sanctus, qui aliud Euangelizetis, præterquàm id quod ab Apostolis acceptum est. Cuius enim Apostoli literis constat (vt cætera omnia prætercam) solam Romanam, esse ecclesiam catholicam, & pontificem Romanũ caput esse vniuersæ ecclesiæ, Papam & ecclesiam Romanam, non posse errare? Tibi etiam, homini vanissimo, qui tam magnũ & impudens mendacium de ecclesia quæ in desertum fugit deperdita, toties ac tam putidè inculcas, anathema dicit Augustinus, quod ex te ista dicas, non ex diuinis libris. Fugisse in desertum ecclesiam, etiamsi rumparis medius, prodidit spiritus sanctus, at idcircò perijsse, quòd Antichristi tyrannidem fugiendo declinauerit, id Stapletonus, totus ex fraude, & mendacio compositus, impudentissimè confinxit: *Sed cùm in finem seculi per operarios missos in messem, semen veræ doctrinæ crescit, sequitur, Catholicam vulgò dictam ecclesiam, solam esse verã Christi ecclesiam, solam esse verè agrum Dominicum, quæ operarios suos ministros verbi, & ecclesiarum pastores, perpetua per omnes ætates successione demonstrare potest.* Hoc tuo argumento quid fingi potest

leuius,

leuius, quid eneruatius? Nec enim propositione constat vera, nec assumptione probabili, nec complexione cum antecedente, vlla necessitate cohærente. Nam quis hoc fateatur solam esse veram ecclesiam, quæ suos pastores, perpetua successione demonstrare potest? Petit enim, ac mendicat impudenter hæc propositio, quod hactenus in controuersia positum fuit. Neq; enim vera ecclesia, ordinariam in eisdem semper locis successionem demonstrare potest, nec quæ per omnes ætates perpetuam episcoporum seriem, ad hæc vsq; tempora continuare valeat, veram esse ecclesiam vel tute Stapletone concesseris. Non enim nescis, orientales Græcorum ecclesias, quas vos pro hæreticis ac schismaticis habetis, ab ipsis Apostolorũ fundamentis, personarũ successionem cõtinuam è suis diptychis demonstrare, paratos esse. Quod verò assumis, ecclesiam papisticam ministros verbi, & pastores ecclesiarum, perpetua per omnes ætates successione demonstrare posse: finge purum puteum esse verbũ dei quod docetis, cũ tamẽ infinitis mendacijs, ac blasphemijs scateat vestra doctrina, ac demõstra (si potes) perpetuã, his aliquot seculis, verbi ministrorũ successionẽ, cùm pleriq; omnes episcopi, & pastores,

canes muti essent, Romanis verò pontificibus, quorum de successione maximè superbitis, nihil insolentius esset, quàm verbi ministerio intentos esse, quàm populum docere, quàm semen verbi Dei serere. Si ad fraterculos, & paucissimos quosdam, ex seculari sacerdotio doctorculos confugis, quando tandem, aut vbi terrarum, perpetuã successionem verbi ministrorum toties, tantoque fastidio, ac supercilio iactatam contexes? Quod autem postremò concludis, Catholicam vulgo dictam ecclesiam, solam esse veram Christi ecclesiam, id quàm falsum est, tribus verbis expediam, si mihi quã appelles vulgo Catholicam dictam ecclesiã explicare poteris. Romanã dicis & Papisticam. Quam vulgus scilicet papistarum dicit Catholicam, nam Christianorum, quos vocas protestantum, vulgus, hæreticam dicit, & Antichristianam. Eisdem planè elogijs ornata est iamdudum ab orientalibus Græcorum ecclesijs. Quæ ergò hæc est futilitas, vulgo Catholicam dictam, pro verè catholica vendicare? quæ nulli nisi suorum vulgo sic appellata sit. Sciens prætereo, quàm dextrè bonum illud semen, quod in agro à patrefamilias satum, ad messem crescere oportet, exponit Stapletonus pro veræ doctrinæ

semi-

ſemine, quod Chriſtus ipſe optimus interpres, filios regni diſertè interpretatur, Mat. 13. verſ. 38. Agrum vero dominicum in quo ſeritur bonum ſemen, quem Chriſtus mundum, hic ſolam eccleſiam catholicam, interpretatione explicat. Eccleſia verò catholica iam olim (vt illi ſentiunt) ex vniuerſo mundo perijt, in ſola Europa remanſit, quo nihil dici poteſt Donatiſtarũ inſaniæ, quibus nos ſed fruſtrà conferre ſtudet, magis coniunctum, aut cohærens magis.

Stapletonus.

IAm verò ſucceſſio quam prætenditis, Apoſtolorum & Euangeliſtarum, merum eſt otioſi hominis nugamentum. Nunquid enim & nos, imò nònne omnes ſectæ chriſtianorum, Propheticam, Apoſtolicam, & Euangelicam doctrinam; id eſt, ſcripturas noui ac veteris Teſtamenti ſeſe amplecti & venerari affirmant? Nònne omnes, Petrum, Paulum, Matthæum, Marcũ, Lucam, Ioannem legunt, & quæ ſcripſerunt, vt ipſum Dei verbum, omnes legunt? Sed Eccleſiã quærimus, quæ has ſcripturas nobis commendauit atque commendet; quæ eaſdem & olim expoſuerit & hodie expo-

 nat;

nat; quæ omnem aliam doctrinam siue ex Scripturis collectam, siue extra eas traditam, ad nos per manus tradiderit. Hanc adhuc non ostenditis. Nam quod ad reliquos enumeratos attinet, videte quàm nihil vos iuuant. Antiquos patres quos commemorastis, in multis doctrinæ articulis deseritis: veteres hæreticos quos addidistis, in quibusdam etiam (vt ipsimet agnoscitis) non probatis. Nullos ergo habetis quos sequamini, alioqui & Iudæos & Mahometistas, in hac successione vestra, eodem iure, commemorare debuistis. Nam cum Iudæis vetus testamẽtum, cum Mahometistis magnam vtriusque testamenti partem, vnius Dei cultum, multaq; alia agnoscitis & tenetis. Sed vt non propterea hos patres vestros esse aut ecclesiæ vestræ lumina (opinor) agnoscitis, sic nec patres illos antiquos, nec etiam hæreticos commemoratos, ecclesiæ vestræ lumina, ac magistros fuisse vlla ratione agnoscere potestis. Nam quod adiecistis, in præcipuis & essentialibus fidei articulis cum antiquis patribus commemoratis, vos consentire & conspirare, *etiam illud falsissimum est. Dissentitis enim ab eis in tota Sacramento-*

Protestantes nullos habent quos sequantur.

mentorum doctrina, in Ecclesiæ potestate, de inuocatione & cultu diuino; in articulis de gratia, De libero arbitrio, De iustitia Christiana, De bonorum operum merito, De peccato originali, *eiúsque reliquiis & corruptione naturæ humanæ, tam antè gratiam reconciliationis susceptam quàm post, & de aliis quàm plurimis eisdémque apprimè necessariis orthodoxæ fidei articulis, quos vel recensere prolixum esset. Cuius sanè rei argumento luculento vestra ipsorum confessio est. Vestri enim Centuriastæ Magdeburgenses per omnes centurias & ætates, etiam à proximo-post Apostolorum ætatem seculo, in capite* De inclinatione doctrinæ, *omnium illorum patrum quos superiùs commemorastis, graues errores in dictis articulis, aliisq́ permultis diligenter & studiosè notarunt. Errores autem reputant, quoties cum Orthodoxa Catholicorum sententia sentiunt. Non ergo vobiscum qui ab ea quàm latissimè aberratis, consentientia scribunt.*

In quantis articulis ab antiquis patribus dissentiant.

Fulco

Fulco.

IAm verò ſucceſſio, quam nos prætendere ſimulas Apoſtolorum & Euangeliſtarum, mera eſt inuerecundi hominis atque mendacis calumnia. Non enim Petrum, Paulũ, Marcum, Matthæum recenſendo, continuam perſonarum ſucceſſioné oſtendere propoſitum mihi vnquam fuit? Sed ad Riſhtoni veſtri poſtulatum reſpondi, quod his verbis expreſſit. *Quanam illa ſit eccleſia, quæ per omnium ætatum hiſtorias nomina recẽſere poteſt inſignium perſonarum, qui omnibus prædictis muneribus functi, ſcilicet, Apoſtolorum, Euangeliſtarum, Prophetarum, Paſtorum, ac Doctorum, ſuo in regimine ac miniſterio floruerunt*. Huic iniquiſſimo poſtulato reſpondi, nõ omnes has functiones in eccleſia Dei eſſe perpetuas. Apoſtolorum enim, Euangeliſtarũ, ac Prophetarum officia iam olim ceſſaſſe. Paſtorum, & Doctorum tantùm ordinaria munera perduraſſe. Habuiſſe tamen ex omni genere eccleſiam noſtram ſuis temporibus, ſi non numero, at pietate magis inſignes perſonas, Apoſtolos, Euangeliſtas, Prophetas, Paſtores, Doctores, quorum aliquos etiam nominibus deſignare poſſemus, Petrum,

trum, Paulum, &c. quibus in eadem veræ fidei & doctrinæ professione, non in continuata aliqua personarum ac locorum serie succedamus. At omnes (inquis) christianorum sectæ, Propheticam & Apostolicã doctrinam, id est, scripturas veteris ac noui Testamenti, sese amplecti & venerari affirmant. Quid tum postea? Et omnes adulteri, fures, atque homicidæ, qui latere volunt se castitatem, & iustitiam amplecti, ac venerari ante omnia, constanter asserunt. Sed ad examen doctrinæ, morumque omnes reuocari debent. Sacra scriptura diuinitùs inspirata, ad omnes omnium hæreticorum errores redarguendos plenissimam institutionem continet. 2. Tim. 3. *Vos autem ecclesiam quæritis, quæ has scripturas vobis cõmendauit atque commendet?* Cur non igitur ad orientalem Ecclesiam conceditis? Nam à Græcis ad Romanos omnis noui testamenti scriptura peruenit. *Quæ easdem iam olim exposuit & nunc exponat.* Si eam quæritis ecclesiam, quæ veterum expositionem in præcipuis fidei articulis, de quibus inter nos cõtrouertitur, suscipit atque tuetur, ad nostram transite, atque vt vno exemplo pro multis vtar, discite exponere cũ Tertulliano, Ambrosio, Augustino, &c. scri-

pturam

pturam hanc, hoc est corpus meum, pro figura, signo, typo, corporis Christi: *At etiam Ecclesiam quæritis, quæ omnem aliam doctrinam siue ex scripturis collectã, siue extra traditam ad vos per manus tradiderit*. Si vobis non sufficit doctrina, quæ ex scipturis diuinitùs inspiratis collecta, vtilis est ad docendum, ad redarguendum, ad corrigendum, ad instituendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus atque informatus, discedite in malam rem ad Cœnum humanarum traditionum, atque in illud vos ad verticem immergite, vsque daturi aliquando pœnas, contemptæ legis diuinæ, quasi imperfectæ, atque mutilatæ: ore blasphemo negantes, quod spiritus sanctus apertis verbis asserit: ex sacræ scripturæ doctrina, perfectum fieri diuinum hominem, atque ad omne opus bonum, absque illis extra eam traditionibus, satis formatum atque instructum.

At nihil nos iuuant antiqui patres (si tibi credimus) quòd eos in multis doctrinæ articulis deferamus: eadem ratione nec vos iuuant, quia in omnibus eis non adhæretis, sed quòd in præcipuis & essentialibus fidei articulis, cum antiquis partibus, & re-

centi-

centioribus etiam commemoratis, consentiamus atq; conspiremus, satis docent tam multi libri à nobis conscripti, in quibus de summis fidei capitibus, eadem prorsus cũ vetustissimis ecclesiæ luminibus nos sentire, luculenter ostendimus. Tu verò dissentire nos ab illis, in tota Sacramentorum doctrina, in ecclesiæ potestate, &c. ex Magdeburgensium historia arguis, capite de inclinatione doctrinæ, per omnes centurias. O hominem audacem, quia in quibusdam, quasi in pulchro corpore, næuos quosdam obseruârunt, in alijs inclinationem & tanquam inflectionem nonnullam, aut saltem speciem quandam eius, ad errores quos tum Satanas disseminare voluit, licet non apertam prolapsionem, animaduerterunt: graues omnium illorum patrum errores, in dictis articulis, alijsque permultis, diligenter & studiosè notasse, à te summa cum impudentia accusantur.

Quæstiones

Quæstiones de forma & regimine occultæ ecclesiæ, quam *supponunt, Protestantibus proposita: &* Responsiones eorum ad singula, cum replicis ad responsiones singulas. Caput II.

Stapletonus.

Quæstiones de forma Ecclesiæ protestantum.

SEd hæc absurdissima occultæ & latẽtis ecclesiæ, cuius nulla successio osten di potest, opinio, multò luculẽtior apparebit, si tantisper hos homines interrogemus, quænam Sacramenta, quibus, & quando, hæc occulta ecclesia administrauerit? Quam vnquam disciplinam exercuit? Quibus & vbi verbum prædicauit? Quas hæreses repressit? Quæ Consistoria habuit? Vbi Consilia coegit? Quomodo turbulenti fratres ab ecclesia audiendi, & iudicandi ad eam perduci potuerint? Denique vbi synaxes celebratæ, vbi Matrimonia inita, vbi Baptismus datus? vbi postremò, aut qualis tandem ad Christi fidem collectio, si qui fortè per aliquas ætates Christo nomẽ dare, & ab Ethnicismo ad religionem christianam transire voluissent?

luissent? Quæ Templa quas fidei scholas erexistis? Cuius tandem religionis monumenta vt Basilicas, Monasteria, Academias nisi Romanæ, hoc est, nostræ & catholicæ designare potestis?

Ad singula respondet confidenter hic Doctor Anglus. Ad primum quidem de sacramentis dicit, factum id fuisse quoties per Antichristi Papæ tyrannidem id facere licuit. Idem quoq; de ecclesiæ disciplinæ conseruatione respondet. Quandocunq; enim cessaret persecutio, excommunicationibus & censuris locum fuisse, vt de suo tempore quum pax ecclesiis daretur, scribit Cyprianus. Verbum autem fidei illis prædicatum fuisse, qui ad illud audiendū accedere voluerunt. Hæreses porrò repressas ab illis esse, persecutionem nostram tollerando. Consistoria se & tribunalia habuisse, qualia habuerūt Apostoli, de quibus non legitur quod vlla habuerint concilia ab illis coacta fuisse, quoties per nos liberū erat, vbi etiam ex solo Dei verbo, non ex suffragiorum pluralitate controuersias cōposuerunt. Ad ecclesiæ verò iudicium quod attinet, quo fratres turbulenti adducendi erant, in ecclesia sub cruce posita & persecutionem assiduam patiente, expectari hoc

Responsio ad singula.

 non

non debere. Baptisari autem, ad Synaxim conuenire, Matrimonium inire, aut alioqui huic ecclesiæ se de nouo adiungere qui voluisset; eam quanto studio ac diligentia potuisset quærere illum & indagare debuisse; vt illa tandem inuenta, voto potiretur suo. Neq; enim multum referre, manifesta ne sit ecclesia, nec ne. Nam & in tot Romanorum Pontificum schismatibus, ecclesiæ caput obscurum & incertum fuisse, vt cui adhærendum esset, nō satis tum sciri posset. Illa verò schismata etiam totis 40. annis interdum perdurasse. Romanā tamen ecclesiam nequaquam propterea penitùs defecisse dici posse. Postremò occultam & incognitam mundoq; despicabilem suorum societatem, Christo nihilominùs, eiusque viuis membris conspicuam & gloriosam extitisse. De Templis erectis, de religionis suæ monumētis designandis laborandū adeò non censet. Neq; enim templorum ædificationem necessario probare, pios esse qui ædificarunt; quanquam etiam Cōstantinus (ait ille) multas nobis basilicas extruxit; neque Apostoli si hoc ipsum rogati ab Ethnicis fuissent, alia monumenta quàm Ethnicæ superstitiones designare potuissent. Nihil itaque hoc postulatum valere.

lere. Hæc ille ſatis, vt ſibi videtur, aptè & acutè ſingulis reſpondenda loquutus.

Fulco.

QVa fide nō ſolùm à Riſhtono (quiſquis is eſt) propoſitas quæſtiones, ſed meas etiam ad ſingula reſponſiones referat, facilè agnoſcet, qui libellum illum Anglica lingua compoſitum perlegere dignabitur. Sed abſurdiſſimum vocat occultæ & latentis eccleſiæ opinionem, cuius nulla ſucceſſio oſtendi poteſt. Certè ſi in fide ac doctrina, ſucceſſiſſe eam primis illis eccleſiæ architectis, Apoſtolis, & Euangeliſtis, oſtendere non poſſemus, meritò abſurdiſſimam, & ab omnibus qui Chriſtum profitentur explodendam ſententiam, liberè fateremur. Quod ſi, quis cui ſucceſſit, per omnes eccleſias illas latentes, ex quo è Babylone diſceſſiſſent ordine percenſere queamus, quod etiam in quibuſdam forſan eccleſijs eorum, quos fratres vocant Valdenſes, qui ab annis quadringentis ad hæc vſque tempora, manſerunt à Papiſtica hæreſi alieniſſimi, fieri poteſt, niſi fidem earum & doctrinam, cum Apoſtolica & Euangelica, in præcipuis & neceſſarijs ſaltem capitibus,

prorsus consentientem ac planè conspirantem, ex scripturis sanctis demonstrare valeamus, quid illis prodesset, per infinita secula continuata hæreticorum aut schismaticorum successio? Non igitur nullam, vt tu absque rubore fingis, quamuis non personalem, de qua sola absurdissimè gloriantur Papistæ, sed optimam & ad constitutionem ecclesiæ Christi maximè necessariam, successionem designamus. Quàm verò aptè ad singula responderit hic Doctor Anglus, ex refutatione replicarum, istius controuersiarum professoris Regij & ordinarij, satis (vt spero) æquis lectoribus probatum erit, ne ad ecclesiam Papisticam pro vera & catholica Christi ecclesia suscipiendam, inanibus istis quæstiunculis, cogi posse videamur.

Stapletonus.

Replic. ad singulas resp. partes.

QVanquam verò hæc misera suffugia, cordato & erudito lectori etiã nauseã penè mouere, certè magno fastidio esse nõ dubito, tamen ne simplicioribus aliquo fuco imponatur, & breuiter cõmemoranda, & succinctè refutanda existimaui. Quod vt statim aggrediar, ad primũ euasionis genus, quo in Romana ecclesia perse-

cutionem

cutionem (vt vocat) omnem culpam pretermissi sacramentorum vsus, & neglectæ disciplinæ ecclesiasticæ confert, breuiter respondeo, vel ex hac ipsa miseri hominis confessione, luculenter conuinci, confictam eorum ecclesiam sectam & adulteram fuisse, nostram verò Romanam veram & germanam Christi sponsam extitisse. Præualuit enim Romana ecclesia, ex hac confessione, aduersus illam suam in deserto positam: idq; multis iam seculis. At disertè saluator de sua ecclesia dixit; non solùm quòd nescio quis Papa Romanus, aut Paparum successio, sed quod nec ipsæ portæ inferi aduersus eam præualerent. Nec ergo illorum cōmentitia ecclesia vera Christi ecclesia esse potuit, aduersus quam tot seculis & tam continua tot annorum serie præualitum est; nec Romana ecclesia, quæ vna sic præualuit, aut secta aliqua aut antichristianismus esse potuit, sed ipsissima Christi ecclesia: quæ sanè huiusmodi est, vt non solùm contra eam nullo vnquam tempore præualeatur, sed etiam præualeat ipsa contra omnes falsi nominis scientias & sectas; tanquam ipsius Veritatis (vt Apostolus loquitur) colūna validissima & Firmamentū solidissimum: præterea de sectis

Ad 1. de persecutione quæ religionis vsum sustulisse dicitis.

Matth. 16.

1. Tim. 6.
2. Tim. 3.
2 Pet. 2.

& hæresibus, dixit Apostolus, quòd vltrà non præualerent, sed insipientia eorum manifesta omnibus futura esset: Petrus quoque de eisdem dixit: Perditio eorum non dormitat. De bestia quoque in Apocalypsi (quam isti homines Romanum Antichristum esse volunt) disertè dicit scriptura, Oportet eum solui modico tempore. Hæc sectarum & hæresium nota est, vt à vera ecclesia conculcentur omnes & obliuioni tradantur: vt copiosiùs est supra disputatum. Sic istorum hominum maioribus, quos fingunt in deserto, (neque enim ostendunt in mundo vllos) accidit sub Romanæ ecclesiæ gubernaculis. Protriti semper sunt omnes gladio spiritus, & vi verbi Dei citò repressi, quoties emergere, aut caput vspiam terrarum attollere potuerunt. Nam quod ad persecutionem & crucem attinet, quam etiam subinde vera ecclesia Christi sustinet, illa talis non est, nec vnquam fuit, vt lucem prædicationis Euangelicæ extinguat, vel extinxerit aliquando, vt Sacramentorum vsum sustulerit: vt disciplinam ecclesiasticam fregerit, vt externam ecclesiæ politiam aut formam, in iis quæ ad salutem necessaria sunt, impediuerit. Hinc enim factum est, vt etiam de

Apoca. 20.

Supra lib. 3. ca. 9. Sectæ proprium est ab ecclesia extingui.

Vera ecclesiæ persecutio externam eius formam & politiam nunquam sustulit.

tribus primis centuriis ecclesiæ christianæ, quæ sanè grauissimas peneq; ꝑpetuas ꝑse-cutiones (raris admodũ & breuibus induciis datis) passæ fuerunt, clarissima religionis orthodoxæ monumenta habeamus. Extãt illorũ tẽporũ de doctrina religionis, nobilissima scripta: habemus episcoporũ et pastorũ illorũ tẽporum in ecclesiis maximè illustribus, Romana, Alexãdrina, Antiochena, Hierosolymitana, Ephesina, & aliis (in quibus tamen locis maximè feruebat persecutionum rabies) perpetuam seriem & successionem testatissimam, in historiis videlicet ecclesiasticis Eusebii, Socratis, Sozomeni, Theodoreti, Euagrii, Ruffini. Notantur illorum temporum hæreses. Scitur quorum Patrum opera & studio repressæ fuerint. Multa de illorum temporum disciplina, de excommunicationibus, degradationibus, aliisq; pœnis & censuris Ecclesiasticis leguntur. Imò tum demum maximè & seuerissimè Ecclesiæ Disciplinam viguisse, quum multa alia, tum pœnitentiæ illæ publicæ & solennes, & ad multos annos productæ, de quibus tam multa apud antiquissimos Scriptores, Tertullianum, Originem, & Clementem reperiuntur, testatum faciunt.

Quid, quod etiam illis ipsis tēporibus contra hæreses & hæreticos cōcilia crebro coacta fuerint? Sub Victore Romæ, circa quæstionem Paschatis, persequente ecclesiam Seuero. Antiochiæ contra Paulum Samosatenum semel atque iterum, etiam ipsius Valeriani Imperatoris Ethnici ope implorata, & impetrata. Carthagine & Romæ contra Nouatum persequente ecclesiā Decio. Denique ab Apostolis ipsis, Præsbyteris, & Senioribus, nequicquam persequente eos tota Hierosolymitana vrbis totiusq́ue Iudeæ politica potestate, Hierosolymis in Synodo conuentum est, & de re grauissima definitū: plura huius generis postea ex alia occasione proferemus. Tale aliquid (vos Protestantes) in vestra commentitia ecclesia cùm in deserto latitaret, factum aliqua ex parte fuisse ostendite. Verum quidem est, remissiorem aliquando & intensiorem ecclesiæ disciplinam fuisse, propter ecclesiæ vel persecutionem vel pacem, vt commemorat Cyprianus. Non tamen nulla fuit. Vos autem disciplinam vestræ ecclesiæ nullam, nec intensam nec remissam ostendere potestis.

Euseb. lib. 7. cap. 24.

Infra lib. 7 ca. 8. serm. de lapsis.

Quàm verò ridiculum est, hæreses à vobis repressas fuisse, persecutionem illatā

tollerando? Itáne verò olim hæreses represserunt sanctissimi Episcopi primorum illorum seculorum, ac non etiam sententiis illatis, scriptis libris, editione Synodali eas represserunt? An non legistis beatum Petrum Alexandrinum Episcopum, etiam in vinculis constitutum, Arrium excommunicasse, suumq́ʒ successorem Achillam primo, deinde Alexandrum designasse? Cyprianum quoq; exulem ad suos scripsisse, ne ad Nouatianorum Basilicas accederẽt? Sic alij Episcopi carcere, in vinculis, in exilio, ad metalla damnati, officium tamen Episcopale exercuerunt, cuius rei exempla historia ecclesiastica permulta suppeditat.

V. Beda in Martyrolog. lib. 1. Epist. 8.

Fulco.

QVãquam verò hæc misera, miseri hominis suffugia, beato huic ac delicato conuitiatori, non nauseam vt simulat, sed bilem meritò mouere, cordati omnes ac eruditi lectores facilè intelligunt, progrediar tamen, & accuratam singulorum (si potero) eo inquam modo ac sensu, quo à me proposita sunt, non ab isto calumniatore pessimo relata, defensionem instituam. Primùm

mùm igitur quod omnem culpam prætermissi Sacramentorum vsus, & neglectæ disciplinæ, in Romanæ ecclesiæ persecutionem me conferre dicit, ac si per multa sæcula, Sacramentorum administrationem, ac disciplinæ executionem cessasse faterer, magnum est & impudens inuerecundi hominis mendacium. Dixi enim, impeditum aliquando feruente persecutione, non sublatum prætermissum aut neglectum Sacramẽtorum ac disciplinæ ecclesiasticæ vsum. Quærit Rishtonus articulo nono, sectione 1. *Quæ sacramenta Protestantes per mille annos, quibus latuisse ecclesiam aut pœne aut penitus fatentur, administrauerunt.* Respondi: *ea quæ Christus instituit baptismatis & cœnæ sacramenta, idq́ue quoties per tyrannidem papistarum non impedirentur, quò minus ad hæc celebranda conuenirent.* Quærit secunda sectione, *quam correctionem & disciplinam exercuerunt in peccantes?* Respondi: *eandem disciplinam, quæ erat in vsu Cypriani æuo, cùm persecutio liberum eius cursum non impediret, de quo sæpe queritur, locis à me anteà citatis. Admonebãt priuatim, et coram testibus, & (nisi cum persecutionis æstus impedimento esset) communione etiã pel-*

lebant.

lebant. Hæc ad verbum è lingua nostra vernacula transtuli, vt videant æqui lectores, quibus quæstionum tormentis, hanc à me misello homine expressam confessionem, homo iste vanissimus, ad ecclesiæ Protestãtum euersionem , vrgeat atque impellat. Quod verò sponte, ne interrogatus quidē ab inquisitore Rishtono confessus sum, id quo trahere posset Stapletonus experiamur. Impedita fuit interdum, à Romana meretrice, vera Christi ecclesia, vt non toties quoties optaret, ad sacramenta suscipienda, & disciplinam in sontes exercendam, sine maximo periculo conuenire posset. Fuit ergò adultera : præualuit enim ex hac confessione Romana ecclesia aduersus eam, in deserto positam, idque multis seculis. Aduersus verò Christi sponsam ecclesiam non Papam nescio quem Romanum, sed ne inferorum quidem portas, præualituras, ipse Saluator Christus spopondit. O admirabile controuersiarum professoris acumen! Hoccine præualere vocas, Stapletone? Quid igitur legibus & supplicijs ex toto Romanorum orbe propelli? Dioclesianus Iouius, & Maximianus Herculeus, deletam à se penitus Christi superstitionē,

& no-

& nomen Christianornm funditùs sublatum, (quod etiam marmora hodie testantur) superbè non minùs quàm impiè gloriabantur. Præualuerunt ne igitur aduersus ecclesiam Christi? Imò si non cerebrū tibi omne, meretrix illa Babylonica, suis veneficijs penitùs infecisset, non præualuisse vestram Romanam, aduersus hanc profugam & occultam in deserto ecclesiam, fatereris, quia licet omnibus machinis adhibitis, iam olim & nunc etiam, à Pontificibus, eorumque ministris, tortoribus, inquisitoribus, rabulis, mendicantibus, eam oppugnauerit Antichristus, Deus tamen, frustrà frendente Satana, atque rumpentibus Papistis, eam hucusque ab infinitis periculis conseruatam, hodie in apertam lucem restituit, & Romana synagoga (quanquam non externa pompa auri, argenti, gemmarum) at omni tamen spirituali gloria illustriorem, à tot regibus ac populis, quibus sordet prorsus, atque odio est Babylonica meretrix, palàm agnosci voluit. Præualuit igitur, & iam præualet ecclesia Christi, contra omnes hæreses, & omnium maximam Apostasiam Romanensium ab ecclesia Christi. Estque validissima columna & firmamentum veritatis solidissimum, Et si ad

eius perdurationem, quæ perpetua est, conferantur, breuis est sectarum & hæreseωn tyrannis. Papistarum insipientia iam omnibus, etiam mulieribus & pueris manifesta est, eorumque perditio (vt Petrus docet) non dormitat. Consumptus est iam maxima parte, spiritu oris Christi, hoc est, verbo veritatis Antichristus, & glorioso eius aduentu propediè penitùs abolendus atque exterminandus, & in lacum igne & sulphure ardentem proijciendus. Diabolus etiam, quem hic bestiam dicit, modico tempore soluendum, apprehendetur, cum bestia & pseudopropheta breui daturus infinitæ impietatis æternas pœnas. Tantúmne annorum curricula humanis spatijs metiamur, sed ad diuinam ea sapientiam referamus, vt prudenter ac piè hortatur Petrus. 2. Pet. 3. Sed occurrit Stapletonus, & veræ ecclesiæ persecutionem nunquam sustulisse externã eius formam & politiam asserit. Neque ego sustulisse dico, sed nec impedijsse, in hijs quæ ad salutem necessaria sunt. Et quemadmodum de primis illis centurijs ecclesiæ Christianæ, grauissimas persecutiones sub impijs Cæsaribus perpessæ, extant clarissima religionis orthodoxæ monumenta, & scripta de doctrina pietatis nobilissima: Ita super-

2. Thes. 2.

Apoca. 20.

supersunt de quinque aut sex illis centurijs, quibus oppressa fuit per Antichristi tyrannidem, syncerae fidei & doctrinae in ecclesia Christi veritas, non minùs illustria testimonia & scripta clarissima, quae non interijsse, quãuis plurimos mortales secũ in perniciem traxisset Antichristi pestis, sed fraude ac saeuitia hominis scelerati oppugnatam fuisse Christi veram & germanam sponsam ecclesiam orthodoxam arguere valeant. Nondum interierunt Bertrami, Valdi, Ioannis de Gandano, Wiclephi, Hussi, plena pietatis ac Christianae doctrinae monumenta. De perpetua Episcoporum & pastorum serie, nec tam sollicitos fuisse credo, vt magni facerent, cùm de fidei certitudine constaret ex verbo Dei, antecessorum nomina, & titulos membranis inclusos ostentare; nec tamen neglexisse penitùs, historiam ecclesiae suae, miserè ab Antichristo afflictae, quin extent alicubi si operepraeciũ esset cognoscere, apud tot gentes Galliae, Germaniae Sarmatiae, Liuoniae, Calabriae, Apuliae, Bohemiae, in quibus dispersa fuerit piorũ in Europa ecclesia, cõmentarij difficilium illorum tẽporũ, rerumq; in ecclesia gestarũ à fidissimis pastoribus ac fortissimis Christi martyribus. Scribunt ad Caluinũ seniores

vnitatis fratrũ,qui vulgò Valdessenses vocãtur, ex Carmelo in Bohemia anno Dom. 1560. suamq; vnitatem quam semper in Domino retinuerunt, constanter se tueri velle pronunciant. Suam etiam Apologiã & fidei confessionem quam à multis seculis ꝓfessi sunt, constat eos emisisse. Vnde nõ leuis est coniectura, habere ipsos in suis ecclesijs, historias rerum suarũ absolutas. Quin & repressam fuisse, ac funditùs deletam, ab his in Bohemia, Adamitarũ, perniciosam sectã, vel Romanensiũ historiæ testantur. Quæ in Merindolo, Costa, Cabriera, Mussio, alijsq; ꝓuinciæ & Pedemõdanæ regionis oppidis, iãdiu ꝑdurarũt ecclesiæ: An sine vlla disciplinæ executione, tot seculis ꝑmãsisse quisquam sanæ mentis crediderit? Quod ridiculum esse dicis, hæreses à nobis repressas fuisse persecutiones illatas tollerando; Annon legisti, victum à fidelibus Satanam, per sanguinem agni, verbumque testimonijs ipsorum, qui non dilexerunt animas suas vsq; ad mortem? Quanquam scripsisse me sola persecutionum tollerãtia repressas à nobis hæreses fuisse, omni verecundia remota, mentiris (vt ferè semper) apertissimè verba adiungam, vt absque vllo colore te fingere, omnes manifestè intelligant. Apoca. 12.

Quærit

Quærit Rishtonus ar. 9. sect. 4. *Quomodo redarguebant hæreses?* Respondeo, *Redarguebant hæreses per verbum Dei, & tyrãnidem vestram patienter ferendo: quorum alterum legere possis in ipsorum scriptis quæ extãt, Wiclephi, Bertrami, Hussi, &c.* De altero vestræ ipsorum historiæ testatur: Ita cùm desit quod sub leui aliqua veritatis specie & vmbra reprehendere valeant, non pudet perfrictæ ad omnem impietatẽ frontis hominem, ea quibus nullus omnino color induci possit, audacter & sine rubore comminisci.

Stapletonus.

Ad 2. De prædicatione & sacramentorum vsu.

Illud vero perbellum est, prædicationem illis fuisse qui audire voluerunt, & sacramentorum vsum illos habuisse, qui latentẽ ecclesiam diligenter quæsitam inuenire potuerunt, aut denique in ecclesia afflicta, iudicii normam expectari non debere. Quæ nescio an ridiculè magis & ineptè, quam sceleratè & impiè dicantur. *Hæc enim ne aliquando fierent, ne prædicationis defectus esset, ne Sacramentorum vsus (res ad salutem maximè necessarias) vllo vnquam tempore petẽtibus deesset, ne disciplina iaceret,*

ceret, ne ad fidem Christi aditus non pateret, his inquam aliisque grauissimis de causis ecclesiam suam Christus conspicuam, manifestam & illustrem non sibi tantum & membris sui corporis viuis, sed etiā toti mundo esse voluit, vt alio in loco accuratè satis, nisi fallor, demonstratum est.

Fulco.

ILlud verò perodiosum est, te omnia mēdacijs peruertere, ac rapere in sensum maligna interpretatione longè alienissimū. Defecisse prædicationem verbi, aut Sacramentorum vsum interijsse, non dixi, ac nè sensi quidem. Respondi interrogato, *si ex gentibus aliquis baptismum, aut communionem hæreticum ab his petere vellet, cæteraque quæ ad fidem & religionē spectant, quomodo incognitam hanc atque contemptissimam turbam inuestigasset?* Scripsi nō difficile fuisse, vt inueniret ecclesiam, quam solam esse verā Christi sponsam crederet, si quidem à quibus, edoctus esset, hunc coetum quantumuis mundo despicatissimum, esse tamen gloriosam Dei viuentis ecclesiam, ab ijsdem ad eius communionem adduci potuerit. Patuit etiam ad fidem Christi

Christi aditus, omnibus in Christo electis. Quos enim ante iacta mundi fundamenta Deus ad salutem præordinauerat, eosdem etiam suis temporibus per Euangelij prædicationem, ad veritatis agnitionem vocauit. Vasa verò iræ ad interitum destinata, quibus & ἐνέργειαν erroris immisit, passus est ab homine peccati in perniciem seduci atque abripi. Ecclesiam verò hominum impiorum multitudini non esse semper conspicuam, & nos etiam alijs in locis, & in his ad Rishtoni postulata responsionibus satis (vt opinor) dilucidè commonstrauimus.

Stapletonus.

Lib. 2. cap. 3. & 6.

Quod ad Consistoria verò attinet, habuerunt illa Apostoli, vbi sedes suorum & Cathedras posuerunt, Romæ Petrus, Hierosolymis Iacobus, Ephesi Iohannes, aliiq; alibi. Nec si non habuissent, succedentibus tamen tot seculis ecclesiæ illa defuisse debere vlla ratione sequitur. Quod autem postremo loco, tanquam magnum aliquid subijcitur, de Romanorum Pontificum schismatibus, nihil simile habet enim commentitia hæc Protestantium

Ad 3. De Consistor. & de schis. Rom. Pont.

tu deserta ecclesia. Aliud enim est, de supremo ecclesiæ capite & Episcopo dubitare, quæ persona locum legitimè occupet; aliud nullum planè Episcopum, nullum Pastorem ecclesiæ suæ, idque per totos mille annos & amplius proferre posse: Etsi incertus quis Papa esset, certi tamen erant singularum ecclesiarum Episcopi & pastores. Deinde non tam difficile erat doctoribus, à quibus institutio pendebat, intrusum à legitimo Pontifice dignoscere, nec erat illud religionis sed regiminis schisma. Nec à Pontifice simpliciter sed ab hac persona tanquam nō legitimè Pontificatum adepta, sese homines segregabant. Deinde paucorum annorum hæc schismata erant, maiusque pietati & Christianæ sanctitati propter scandalum, quam ipsi fidei & puræ doctrinæ detrimentum afferebant. Tota reliqua politia, & disciplina ecclesiastica in singulis christiani orbis prouinciis, hoc non obstante schismate, vigebat. Quare nihil affert, nihil simile habet, cum hac deserta & fugitiua; quæ nec Sacramentorū usum, nec disciplinæ vigorē, nec prædicationē verbi, nec ullum denique Christianæ religionis vestigium, aut monumentū per aliquot seculorū seriem, nullos pastores, nullos episcopos, nullā ecclesiæ formā con-

continua serie decurrentem proferre, aut demonstrare potest.

Fulco.

De Consistorijs, qualia habuerint Apostoli, nulla inter me & aduersarium quæstio agitata fuit, presbyteria & Senatum ecclesiasticum habuisse, non dubito. Sed illud quærebatur, *Vbinam præcipui occultæ istius ecclesiæ pastores sederint in iudicio?* Hoc cùm ille de papisticorum pontificum forma iudicandi intelligeret: Respondi, non aliter sedisse, quàm Apostolos, de quibus lego quòd steterint sæpe iudicandi, sedisse verò iudicantes nusquam lego.

Quod de Romanorum Pontificum schismatibus obieci, nihil simile habere ait, cum hac commentitia Protestantium in deserta ecclesia. Quid ita verò? *Quia aliud est de supremo ecclesiæ capite dubitare, aliud nullum ecclesiæ pastorem, per mille amplius annos proferre posse.* Peracutè scilicet, certè, nisi aliud esset, simile omnino non esset. Quanquam quid fingi potest illo mendacio prodigiosius? Nullum nos per totos mille ampliùs annos proferre posse pastorem ecclesiæ, cùm proferamus plurimos.

Ego verò, omnium oculis manifestam ecclesiam suam, ne ab ipsis papistis semper ostendi potuisse, docui, exemplo tot schismatum, quod referuntur fuisse in ecclesia Romana, cum duo aut tres Pontifices simul imperantes, sesesque mutuò diris deuouentes, capitis ecclesiæ titulum atq; honorem singuli ad se raperent, cæterosq; per orbem vniuersum, qui ipsos pro legittimis non agnoscerent, communióne fideliũ priuarent. Hic iam Stapletonus quasi serpens maximo vulnere in capite accepto, in multos contrahit. Excipit igitur primo, quamuis Papa esset incertus, certi tamen erant singularum ecclesiarum pastores & Episcopi. Sed cùm papisticæ ecclesiæ salus, ab vno capite, vt ipsi iactatis, pendeat, quæ salutis certitudo esse poterit, cùm de capite incertĩ essent homines? Secundò, non difficilè fuit doctoribus à quibus multitudo pendebat, intrusum à legittimo dignoscere. Verùm cùm vtrinque essent docti, æquali numero atque eruditione, vtros tandem sequeretur vulgus? Tertiò, non fuisse illud religionis, sed regiminis schisma. At cùm omnis apud vos religio, ab illo regimine pendeat, capite in duas aut tres partes dissecto, quid sani potuit esse in toto corpore?

Deinde adieci in vigesimo tertio schismate, controuersiam fuisse, quæ nondum etiam apud vos definita sit, de summo & præcipuo totius religionis Papisticæ articulo. An Papa sit supra consilium, vel consilium supra Papam. Non regiminis itaque solùm, sed & religionis fuit schisma, quanquam illius regiminis schisma, non sine religionis concussione esse potuit. Quartò, non à Pontifice simpliciter, sed ab hac persona tanquam non legitimè Pontificatum adepta, homines sese segregasse. Atqui testantur historiæ, fuisse in 22. & 23. schismatibus, qui neutri Pontifici adhærere volebant, & qui in ordinem cogi Pontificem postulabant. Annon publicè in Concilio Basiliensi propositum est, Papam non esse vniuersalem, nec Episcopum vniuersalis ecclesiæ, nec caput principale, nec ministeriale vniuersalis ecclesiæ? Item, Ecclesiam Romanam non esse vniuersam, sed de vniuersitate corporis mystici ecclesiæ? Concilium generale cogi posse inuito Papa? Potestatem Conciliorum non procedere à Papa, sed à Christo immediatè? Papam non habere præsidentiam in concilio generali, nec authoritatiuam nec honorariam, nisi

nisi concedente aut permittente concilio? &c. Hæc quid aliud quàm defectionem ab ipso Pontifice moliebantur? Quintò, paucorum annorum dicit hæc schismata fuisse. Sed fuerunt plurima, & quædam totis ferè quadraginta annis perdurabant. Postremò, maius pietati & morum sanctitati propter scandalum, quàm fidei & puræ doctrinæ detrimentum attulisse. Imò præterquam quod de summis fidei & doctrinæ papisticæ articulis, in nonnullis disceptatum fuit: in omnibus non potuit non maximum esse fidei & doctrinæ vestræ detrimentum, cùm rupes illa ecclesiæ vestræ solidissima, quæque vniuersum eius ædificium (si vobis credimus) sustinet, ambiguæ plurimum simul Pontificum auctoritate, omnia sibi vendicante, hominum studijs in diuersas sententias abeuntibus, pluribus nulla videbatur, omnibus dubia atque incerta fuerit. Vt igitur in alijs parum aut nihil habere affine ac simile, Romanam ecclesiam cum illa fugitiua muliere confitear, in hoc tamen quod non semper omnium oculis conspicua ac manifesta fuerit, aliquid esse similitudinis, nemo nisi oculis mentis captus negauerit.

Quod autem toties tanquam putidè, fugitiuæ mulieris, & ecclesiæ in deserto latentis, nomen per ludibrium & contumeliam vsurpat, quid aliud quàm impuri ac inuerecundi canis rictum, spiritus sancti eloquijs oblatrantis prodidit? Ad cætera de Sacramentorum vsu, disciplinæ vigore, verbi prædicatione, totaque ecclesiæ forma, quæ aliquot seculis ingrato mundo incognita, nunc ex earum ecclesiarum testimonio, quæ in lucem & aspectum omniũ restitutæ sunt, qualis fuerit probè constet, satis à me, superque antea responsum est.

Stapletonus.

Ad 4. De Tẽplis aliisque religionis monumentis.

QVamobrem, quod de Templis aliisq; christianæ religionis monumẽtis subiungit, primùm ex templorum structuris, non probari sanam fidem eorũ qui extruunt, deinde Constantinum illis basilicas extruxisse, ac postremò, idem ab Apostolis postulari, sed iniquissimè potuisse, ad primum respondetur, templorum structuram certum esse religionis alicuius argumentũ, in cuius vsum & officia illa templa extruuntur, vtcunq; ille qui structuræ Author est, improbus & hypocrita esse queat. Itaq; quæ

quæ religio nullum sibi extructum toto orbe templum designare potest, illa quin sit vanissima, mereq; commentitia dubitari non potest. Constantinus autem Basilicas suas Romæ potissimum extruxit, vt S. Petri, S. Pauli, S. Sebastiani, S. Crucis in Hierusalem, aliasq; amplissimas, quæ vsque hodie visuntur, sed Romanæ ecclesiæ & religionis Romanæ (quā execrantur Protestantes) vsibus illas extruxit, non Protestantium ecclesiæ quæ nondum vsquam extiterat: ab Apostolis verò postulari, talia religionis monumenta nisi stultissimè non poterant, quia gentibus vniuersis noua prorsus, & toto orbe, inaudita fuerat, quam afferebant & prædicabant, religio. Nunc verò post 1500. christianæ religionis annos, idem à vobis Protestantibus postulare, qui vobis solis verū christianæ religionis vsum, & veram ecclesiam venditare vultis, non stulta tantùm non est, sed planè æquissima & necessaria postulatio est. Cui profectò aliter satisfacere non potestis, nisi vos ipsos totius orbis Apostolos esse, nec alios illos à Christo missos legatione sua rectè functos fuisse, sed sine fructu laborasse (quem tamen Christum allaturos ipsos, & mansuram quoque fru- Ioan. 15.

ctum

ctum quem attulerant, *disertè promisisse* ore impudentissimo dicatis. *Quamobrem Missa iam vanissima obstinatorum hominum tergiuersatione, vtrâque contra successionis tam necessarium punctum cauillatione, ad reliqua iam falsa ipsorum ecclesiæ illustria argumenta proferenda pergemus.*

Fulco.

TEmplorum structuram, certum esse religionis argumentum asserit, ac proinde religionem quæ nullum sibi extructum toto orbe templum designare queat, vanissimam, mereque cõmentitiam appellare nõ dubitat, quæ quomodo inter se cohæreant, alterumque ex altero concludi possit, non video. Etsi enim templorum structura, aliquam religionem arguat, non tamen inde sequitur, nullam esse religionem, vbi nullum sit templum. Tribus ferè annorũ millibus à constitutione mundi, vera Dei ecclesia, sine vllo in toto orbe templo extructo viguit, plus mille annis vnico templo contenta fuit. Iam à Christi tempore, aliquot seculis Christiana religio, per totum Romanum

manum orbem, quod & Origines & Arnobius testantur, sine templis, sine aris, sine imaginibus floruit. Deinde, quod nullum à nobis nostræ religionis vsibus consecratum templum designari ait, vanissimum est. Celeberrimas enim per orbem Romanum Basilicas, à Constantino Maximo, eiusque successoribus Christianissimis principibus excitatas, designaui. Sed quas Constantinus Romæ extruxit Basilicas, Romanæ religionis vsibus dedicauit, si Stapletono sine teste loquenti fidem adhibeamus. Atqui cùm fides & doctrina quàm profitemur in præcipuis ac maximè necessarijs ad salutem capitibus, eadem esse demonstretur, ex illius ætatis scriptis monumentis, quàm Constantinus amplexus sit, & quæ à religione papistica in ijsdem articulis maximè dissentiat, satis vt opinor perspicuum est, Christianæ non papisticæ religionis vsibus exædificatas fuisse à Constantino magnificas Basilicarum Templorumque structuras. Fatetur ab Apostolis non nisi stultissimè postulari potuisse, talia religionis monumenta, quando religio quam adferebant, prorsus noua & inaudita fuisset, quod tamen à nobis æquissimè postuletur, qui post mille & quingentos annos,

Orig. cont. Celsum lib 4. Arn. cont. gent. lib. 2.

Christianæ

Christianæ religionis, nobis solis veram ecclesiam vendicare velimus. Sed cùm inualescente his aliquot seculis, Antichristi superstitioso ac impio cultu, templa ferè omnia (saltem in his locis in quibus illa pestis grassata sit) fœda idolomania prophanata & ad vsus papisticos deformata sint, non magis æqua est à nobis, quàm ab ipsis Apostolis fuisset, templorum ad omnia religionis nostræ officia inseruientium postulatio. Plæraque enim aut vetustate collapsa sunt, aut ad ritus superstitiosos & idololatricos conuersa sunt. Quædam tamen adhuc templa ostendi posse scripsi, quorum forma ad vsus papisticos, scilicet ad missam audiendam, & idolum altaris in ipso Missæ sacrificio conspiciendum, prorsus inepta sit, vt quæ in crucis aut circuli figura extructa sunt. Deinde quæcunque ante decretam ab Antichristo Romano Eucharistiæ adorationem condita videntur, vt vetustiora omnia, ipsa structuræ specie & figura, ad hanc rem incommoda sunt, recenter verò ædificata, testantur suos conditores huius adorationis rationem habuisse maximam. Ita vt quocunq; in loco templi populus consisteret, summum illud altare semper in oculis haberet.

Postre-

Postremò, Beda tuus (Stapletone) profitetur aliam fuisse formam Templorum in Britannia, aboriginum Britonum, qui Romanæ ecclesiæ iugum non susceperant, quã fuit eo seculo ab ecclesia Romana recepta. De Apostolis verò ab ipso Deo & Saluatore nostro IesuChristo ad orbem vniuersum legatis, quàm honorificè sentiamus, argumento esse potest apud omnes sani iudicij homines, quòd omnem fidei morumq́ue doctrinam, ex eorum tantùm literis ac monumentis, certeisq́ue sacræ scripturæ oraculis, peti debere acerrimè contrà vos contendamus. Quantóque cum fructu legatione sua perfuncti sunt agnoscimus, quam ecclesiam super eorum fundamenta semel extructam, in toto terrarum orbe, non in Europæ aliquo angulo, propagatam, omnibus licet Satanæ machinis oppugnatam, mansuram tamen vsque ad finem seculi cõfidimus. Et Armeniorum ad Patriarcham Constantinopolitanum annis abhinc duodecim æditam fidei confessionem vidimus, orthodoxam ac cum doctrina Apostolica, in summis illis religionis articulis, pulchrè cõsentientem. Neque ab hac confessione alieni sunt Syri, aliiq́ue orientalis populi, quos inter, ab ipsis Apostolis plantatæ ecclesiæ, licet Bed. hist. lib. 3. cap. 4. & aliis.

licet sæuientibus vndiq; persecutionum procellis, ad hæc vsq; tempora vnicum salutis auctorem Christum amplectuntur, Romanum verò pontificem, si qui eius superbiam nouerint, execrantur ac detestantur. Facessat igitur inanis ista futilisq; Romanensium de personarum ac locorũ successione iactantia, qui cũ aliam salutis adipiscendæ rationem, quàm quæ ab Apostolis tradita, & ꝑ omnes ætates in ecclesia ꝑ totum orbem dispersa, ad hæc vsq; tempora retenta ac conseruata fuit, ad turpem quæstum & fluxam mundi gloriam parandam, impiè excogitatam ore impudentissimo proferentur, & ꝑ doctrinæ examine, ab Apostolorũ scriptis prouocãtes ad seriem nominũ mortuorũ hominũ, quorum plærosq; omnibus probris contaminatos fuisse ipsorum historiæ fidem faciunt, non stultè magis ac ridiculè, quàm impiè & sceleratè confugiunt.

FINIS.

LONDINI,
Typis Thomæ Dawson.
1579.